UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Generalis Totivs Sacri Ordinis Clericorvm Canonicorvm Historia Tripartita

Pennotto, Gabriele

Coloniae, Anno M.DC.XXXXV.

XLIII. De Fundatione monasteriorum S. Petri Gatinariæ S. Stephani in Cittadella Vercellarum, & Sancti Iuliani Imolæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38634

Visual Library

præfata moderatione ſeu limitatione penitus exemit, habentur literæ in lib. Indultorũ pag. 478

Anno 1520. coactum fuit Generale Capitulũ Mortarij, in quo quidem electus fuit Rector Generalis R. P. D. Ioannes Iacobus Cremonenſis, additis Viſitatoribus D. Raphaele Placentino, D. Coſmo Mediolanenſi, D. Zacharia Nouarienſi, & D. Ioſepho Veronenſi. Anno 1521. Capitulum Generale Rauennæ. Rector Generalis R. P. D. Valerius Vicentinus. Viſitatores D. Ludouicus Salodienſis, D. Timotheus Papienſis, D. Petrus Martyr Mediolanenſis, D. Petrus Cremonenſis. Hoc anno Leo X. Romanus Pontifex antea Ioannes de Medicis Patre Laurentio, matre Clarice Vrſina progenitus, clariſſimarum proſapiarũ nobile germen, quarum ſplendorem virtute, & dignitate auxit, qui ſacrorum cultum reſtituit, Diuos coluit, religionem, & pietatem amauit, iuſtitiam incorruptam ſeruauit, bonas artes coluit, literarum ſtudia replantauit, literatos non ſolum verbo, & lingua dilexit, ſed opere, & veritate fouit, & muneribus cumulauit, qui Italiam pace donauit, & ſeculum aureum reuexit, bonis quibuſque mœrentibus ex hac vita fuit ſublatus die 21. Decembris, ætatis ſuæ anno 45. cum ſediſſet in Pontificatu annos 8. menſes 8. & dies 21.

CAPVT QVADRAGESIMVM TERTIVM.

De fundatione monaſteriorum S. Petri Gatinariæ, S. Stephani Citadella Vercellenſis Diœceſis, & S. Iuliani Imolæ.

I. ANno 1522. Sede Apoſtolica per obitum Leonis Decimi vacante electus fuit in Romanum Pontificẽ Adrianus VI. die 9. Ianuarij, quem alij ferũt patria Traiectenſem, alij verò Italum, ex oppido Salodienſi, apud lacum Benacum exortum, ſed à puero in Hollandiam profectum, & Hollandinum propterea reputatũ. Hoc autem anno Generalia noſtræ congregationis Comitia ſunt habita Rauennæ, ac in illis electi Rector Generalis R. P. D. Deſiderius Mediolanenſis. Viſitatores D. Gaſpar Vercellenſis, Dom. Thomas Cremonenſis, D. Gabriel Veronenſis, & D. Franciſcus Vicentinus.

Anno 1523. idem Adrianus Sextus ex hac vita migrauit, die 14. Septembris, in cuius locum electus eſt Iulius de Medicis presbyter Cardinalis die 19. Nouembris, qui Clemens Septimus fuit nuncupatus. Eodem autem anno Generale Capitulum habitum fuit Placentiæ. Rector Generalis electus R. P. D. Albertus Veronenſis. Viſitatores D. Raphaël Placentinus, D. Archangelus Papienſis, D. Gabriel de Gatinaria (hic erat frater Illuſtriſſimi Cardinalis Mercurini, magni Cancellarij Caroli Quinti Imperatoris) & D. Michaël Vicentinus.

Anno 1524. Generale Capitulum Rauennæ. Rector Generalis R. P. D. Ioannes Iacobus Cremonenſis. Viſitatores D. Raphaël Placentinus. D. Coſmas Mediolanenſis, D. Ioſeph Cremonẽſis, & D. Valerianus Bergomenſis. Hoc anno Clemens VII. inſigne priuilegium immunitatis monaſterio Tremitano à ſuis prædeceſſoribus Sixto IV. Innocentio Octauo. Leone Decimo conceſſum, confirmauit, die vltima Martij. Eodem anno dictus Põtifex ſtatutum fecit, ne perſonæ cuiuſuis ſexus, vel ætatis, & conditionis monaſteria canoniſſarum noſtræ congregationis, etiam vigore facultatum à Sede Apoſtolica obtentarum ingrederentur, exceptis medicis, Cœmentarijs, &c. & de licentia exiſtentium pro tempore Rectorum Generalium, idque ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ reſeruatæ. quod ſtatutum habetur in lib. Indultorum noſtræ congregationis pag. 481.

Anno 1525. Capitulum Generale Rauennæ. Rector Generalis R. P. D. Raphaël Placentinus. Viſitatores D. Ludouicus Salodienſis, D. Ioannes Ludouicus Mediolanenſis, D. Agapitus Vicentinus, & D. Petrus Cremonenſis. Anno 1526. Capitulum Generale Placentiæ. Rector Generalis R. P. D. Thomas Cremonenſis. Viſitatores D. Archangelus Mediolanẽſis, D. Angelus Vercellenſis, D. Frãciſcus Vicentinus, & D. Gabriel Veronenſis. Anno 1527. Capitulum Generale Rauennæ. Rector Generalis R. P. D. Archangelus Papienſis. Viſitatores D. Michaël Vicentinus, D. Gregorius Placentinus, D. Gabriel à Gatinaria, & D. Ambroſius Bergomenſis. Hoc anno in Vigilia Annunciationis B. Virginis cum Carolus Borbonius cum copijs Germanorum ad radices montis Belliani conſtitiſſet, vt die ſequenti ad monaſterium diripiendum aſcenderet, nocte ſequenti tanta nix cum imbribus de cœlo cecidit, vt milites ferè omnes in aquis fuerint præfocati, cæteris fuga ſibi conſulentibus, cuius rei memoria quotannis agitur ab Indigenis in eodem feſto Annunciationis, vt ſupra c. 28. dictum fuit. qui Carolus ſub fide contra fidem datam Romam cũ exercitu Imperatoris contendens, Vrbem cœpit, & deprædatus fuit, & Pontificem intra molem Adrianam receptum obſedit.

Anno 1528. Capitulum Generale Placentiæ. Rector Generalis R. P. D. Michaël Vicentinus. Viſitatores D. Ioſeph Veronenſis, D. Lucas Nouarienſis. D. Valerius Placentinus, & D. Ioannes Franciſcus Mediolanenſis. Anno 1529. Capitulũ Generale Bononiæ. Rector Generalis R. P. D.

Ludouicus Salodienſis. Viſitatores D. Agapitus Vicentinus, D. Deſiderius Ianuenſis, D. Petrus Cremonenſis, & D. Ludouicus Mediolanenſis. Anno 1530. Capitulum Generale Rauennæ. Rector Generalis R. P. D. Archangelus Papienſis. Viſitatores D. Archangelus Mediolanenſis, D. Angelus Vercellenſis, D. Franciſcus Vicentinus, & D. Hieronymus Cremonenſis.

II. ANno 1531. Capitulum Generale Rauennæ. Rector Generalis R.P.D. Gabriel à Gatinaria. Viſitatores D. Gregorius Placentinus, D. Eugenius Veronenſis, D. Valerianus Bergomenſis, & D. Dionyſius Mediolanenſis. Anno 1532. Capitulum Generale Placentiæ. Rector Generalis R.P.D. Ioſeph Veronenſis, hic fuit vir miræ probitatis, & probatæ religioſitatis, & ſæpiū inſtaurator. Viſitatores D. Lucas Nouarienſis, D. Valerius Placentinus. D. Ioannes Franciſcus Mediolanenſis, & Ioannes Baptiſta Mutinenſis. Anno 1533. Capitulum Generale Rauennæ. Rector Generalis R.P.D. Agapitus Vicentinus. Viſitatores D. Ludouicus Salodienſis, D. Ioannes Ludouicus Mediolanenſis, Dom. Petrus Cremonenſis, & Dom. Deſiderius Ianuenſis.

Anno 1534. Capitulum Generale Rauennæ. Rector Generalis R.P. D. Archangelus Papiēſis. Viſitatores D. Angelus Vercellenſis, D. Franciſcus Vicentinus. D. Clemens Venetus, & D. Valerianus Bergomenſis. Hoc autem anno Clemēs Papa Septimus ex hac vita migrauit die 25. Septembris, cuius loco Alexander Farneſius S.R. Eccleſiæ Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis communibus votis eſt electus die 13. Octobris, & Paulus Tertius nuncupatus.

70 Monaſt. Hoc eodem anno fundatum eſt monaſterium ſub titulo Præpoſituræ S. Petri de Gatinaria in Epiſcopatu Vercellenſi, munificentia, & donatione Illuſtriſſimi Domini D. Mercurini de Arboreo Caroli V. Imperatoris olim Magni Cancellarij, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ presbyteri Cardinalis tituli S. Ioannis ante portam Latinā, fratris Illuſtris D. Comitis Gatinariæ. Cuius fundationis ſeries in authēticis dicti monaſterij monimentis ſic habetur. Præfatus Illuſtriſſimus Dominnus Mercurius Cardinalis per ſuum vltimū teſtamentum rogatum per Dominum Ioannem de Cumalunga publicum notarium, & S. Cæſareæ maieſtatis Secretarium, mandauit, in oppido Gatinariæ, in Eccleſia Parochiali S. Petri conſtitui, & erigi collegium canonicorum regularium Ordinis ſancti Auguſtini, & noſtræ Lateranenſis congregationis ſub titulo Præpoſituræ, in quo nouem canonici de redditibus ipſius Illuſtriſſimi Domini fundatoris alendi, & manutenendi ſub regulari diſciplina iugiter manerent: quos tamen de domo Arborea, vel de illius affinibus eſſe voluit, & ad electionem Illuſtris Domini Comitis Gatinariæ illius fratris, & ſucceſſorum in eodem collegio deputari, cui ius patronatus eligendi, nominandi, & præſentandi Præpoſitum, & canonicos in eodem collegio ſtatuēdos, in perpetuum reſeruauit. Mandauit etiam, ex ſuis bonis alterum collegium inſtitui nouem puerorum de domo Arborea, vel de illius affinibus, qui per ſeptem annos in Grammatica, & arte ſcribendi per aliquem Scholarum Magiſtrum, & Rectorem docerentur. Quorum omniū præmiſſorum executorem teſtamentarium vnicum, & inſolidum R. P. D. Gabrielem de Gatinaria noſtræ congregationis canonicum, & illius fratrem, tunc S. Andreæ Vercellarum Abbatem deputauit. qui tamen in illius voluntate quoad omnia implenda difficultates inſuperabiles offendit, tum quòd non reperirentur de familia Arborea tot canonici regulares, qui prædictum collegium poſſent complere, nec eſſent alij canonici, qui vellent recedere à congregatione, & ſubijci Iuri patronatus præfati Domini Comitis Gatinariæ: tum etiam quod Reuerendiſſ. D. Gulielmus de Gatinaria Epiſcopus Nicomedienſis, & Eccleſię ſancti Petri Gatinariæ Plebanus nollet prædictæ Eccleſiæ renuntiare, niſi ad fauorem canonicorum noſtræ congregationis, neque homines cōmunitatis Gatinariæ vellent, memoratum Dominum Comitem in eadem Eccleſia ius patronatus habere. Propter quas, & alias quamplures difficultates memorati D. Gabriel Abbas ſancti Andreæ, & D. Comes Gatinariæ ſupradicti Domini Cardinalis fratres, vt illius voluntas, quoad fieri poſſet, ad effectum deduceretur. anno Domini 1534. indictione 3. die 7. menſis Nouembris ad ſequentes conuentiones, ſaluo Sedis Apoſtolicæ beneplacito, deuenerunt, primò vt Dominus Comes omni iuri patronatus cederet, quod in præfata Eccleſia, vel in illius Præpoſito, & canonicis nominandis, præſentandis, ſeu eligendis prætenderet, ſed illorum electio, præſentatio, & nominatio poſt primam vicem, pro qua ſpectaret ad præfatum D. Gabrielem Abbatem, & executorem, deinceps ſpectaret ad congregationem canonicorum regularium Lateranenſiū, ſiue ad illius Generale Capitulum in perpetuum. Secundò quòd præter nouem canonicos ad diuina in eodem collegio peragenda deputandos, loco trium puerorum in altero collegio inſtituēdorum, acciperentur tres alij Religioſi de dicta congregatione, prout magis expedire videretur, pro quorum manutentione ſtipendia, quæ pro tribus pueris alendis tribuenda eſſent eidem collegio canonicorum tribuerentur, rogato inſtrumento concordiæ, & conuentionum in oppido Gatinariæ, in palatio eiuſdem Illuſtris Comitis Gatinariæ, die, & anno proximè notatis, per Dominum Ioannem Dionyſium de Mandello publicum notarium, & ciuem Vercellenſem.

QVibus conuentionibus initis Reuer. Preſbyter Damianus de Vicecomitibus Rector Eccleſiæ Parochialis loci Paleſtri, qui in Eccleſia III.

ſancti

S. Petri memorata clericatum obtinebat, ad quẽ clericatum ſpectabat fundus prope Eccleſiam, in quo monaſterium extruendum erat, anno Domini 1534. indictione 7. die 14. menſis Ianuarij prædictam clericatum, ad effectum erigendi in illius fundo monaſterium, in manibus Reuerendiſſ. Dñi Auguſtini de Ferrerijs Vercellenſis Epiſcopi reſignauit, eodem Epiſcopo reſignationem acceptante, & probante, quam die decimaſexta eiuſdem menſis, & anni Venerabiles canonici, & Capitulum Eccleſiæ Vercellenſis firmauerunt, rogato inſtrumento per eundem Dominum Dionyſium de Mandello, in Sacriſtia magna Eccleſiæ S. Euſebij Vercellenſis, die, menſe, & anno ſupradictis: in quo de erectione ipſius Eccleſiæ S. Petri in Præpoſituram Ordinis canonicorum regularium S. Auguſtini, ad effectum conſtruendi, & inſtituendi iuxta illa monaſterium, & collegium canonicorum per Sedem Apoſtolicam facta ad inſtantiam memorati Illuſtriſſimi Cardinalis tunc viuentis, expreſſa, & ſpecifica mentio habetur: & ex tunc, quia vt præmititur, Eccleſia in Præpoſituram, & collegium canonicorum regularium per Sedem Apoſtolicam iam fuerat erecta, idem Ven. P. D. Gabriel executor teſtamentarius monaſterium ſatis pulchrum, & nobile conſtruendum curauit, & abſoluit, conſtituto in eodem primo Præpoſito Domino Theophilo de Gatinaria cum canonicorum collegio, redditibus iuxta piam mentem teſtatoris ſatis pro loci conditione dotato. Quod Illuſtriſſimi Comites Gatinariæ multis beneficijs fouerunt, & ſingulari affectu dilectionis pro ea, quæ ſumma eſt Illuſtriſſimæ familiæ Arboreæ in Religioſos pietas, ſunt proſequuti, & nunc etiam proſequuntur. ſed & D. Gulielmus quondam Ioannis de Gulielmis, ex nobilibus de Gatinaria ipſum monaſteriũ an. 1552. omniũ ſuorum bonorum vniuerſalem hæredẽ inſtituit.

Ex quo viri nõnulli cum primis celebres prodierunt, videlicet memoratus D. Gabriel ex Cõmitibus de Gatinaria, prædicti Illuſtriſſimi Cardinalis frater, & monaſterij fundator, vir probatus, & optimus, qui pluribus noſtræ congregationis collegijs præfectus, publicis etiam muneribus Viſitatoris, & Rectoris Generalis totius congregationis ſemel, ſecundò, & tertiò digniſſimè functus, tandem anno 1547. dum eſſet Rector Generalis, ad æterna præmia laborum ſuorum, vt piè creditur, capeſſenda migrauit, Mantuæ in monaſterio noſtro S. Bartholomæi tumulatus. Item D. Valerius à Gatinaria Theologus, & prædicator facundus, & celebris, qui pluribus annis in præcipuis Eccleſijs in ſumma populorum frequentia conciones Quadrageſimales cum habuiſſet, & multa monaſteria optimè rexiſſet, anno 1581. Mediolani obijt in monaſt. S. Mariæ de Paſſione, quo ãno erat Abbas S. Mariæ Nouæ Aſtæ, generaleſq; noſtræ congreg. viſitationes peragebat. Item D. Theodoſius Gatinarenſis de Badinis, prædicti Valerij nepos, qui pluribus annis S. Theologiam eſt profeſſus, inter præcipuos ſui temporis Prædicatores Italicos meritò recenſendus: nam & Romæ in Baſilica D. Petri, & Mediolani in Metropolitana, Ianuæ, Neapolis, Taurini, alijſque inſignioribus Vrbibus tempore Quadrageſimæ prædicauit, Sereniſſimo Sabaudiæ Duci Carolo Emanueli valdè charus, qui illum in Epiſcopum Saluciarum à Paulo V. poſtulauerat, verum conditione temporũ votum effectus non æquauit. Obijt Vicentiæ anno 1611. Abbas S. Mariæ Nouæ Aſtæ, cum triennio proximè lapſo fuiſſet electus Viſitator congregationis.

Anno 1535. Capitulum Generale Placentiæ, Rector Generalis R. P. D. Gabriel à Gatinaria, Viſitatores D. Gregorius Placentinus, D. Eugenius Veronenſis, D. Dionyſius Mediolanenſis, & D. Valerianus Bergomenſis. Anno 1536. Generale Capitulum Rauennæ, Rector Generalis R. P. D. Franciſcus Mediolanenſis. Viſitatores D. Ioſeph Veronenſis, D. Lucas Nouarienſis, D. Valerius Placentinus, & D. Michaël à Mordano. IV.

71 Monaſt.

Hoc autem anno Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. D. Bonifacius de Ferreriis S. R. E. Cardinalis Epiſcopus Sabinenſis, qui cœnobium Abbatiale S. Stephani de Citadella in Ciuitate Vercellarum Ordinis S. Benedicti, olim inſigne, ſed tunc ſatis collapſum, in commendam obtinuerat, illiuſq; titulum D. Petro Franciſco nepoti reſeruatis ſibi fructibus, vita durante, reſignauerat, de monaſterio canonicorum noſtræ congregationis in eodem cœnobio erigendo ſub regimine Præpoſiti, manente titulo Abbatiali pro Commendatario, deliberauit, & pro huiuſmodi erectione Sũmo Pontifici Paulo III. ſupplicauit, & amotis nonnullis monachis, qui in dicto monaſterio, ſine clauſura tamen, & à regulari diſciplina plurimum relaxati degebant, collegium quatuordecim canonicorum, cum vno Præpoſito in eodem cœnobio ſtatuit, quibus præter Eccleſiam, & monaſterij fabricas, & hortos adiacentes, membrum quoddam Abbatiæ, Lachellis nuncupatum, cum omnibus illius poſſeſſionibus, manſiſæ, dificijs, & iuribus ab ipſa Abbatia diſmembratum perpetuò tribuit pro victu, & menſa conuentuali canonicorum, quæ conſtant ex Bullis Pontificijs Pauli III. datis apud S. Petrum 3. Idus Aprilis anni 1536. & pontificatus ſui anno 2. Verum cum propter bella, & alia impedimenta fructus dicti membri minimè pro quatuordecim canonicis ãlendis ſufficerent, nec prędia poſſent ad culturã redigi, numerus canonicorũ ad octo fuit reductus, cõceſſione ipſiuſmet Pontificis facta pridie nonas Septẽbris an. 1541. põtificatus ſui an. 6. Poſtea cũ ab an. 1550. & deinceps Prępoſitus, & canonici ad cõtributiones hoſpitũ

militum

militum (quippe quod monaſterium eſſet in arce conſtitutum) & ad onera militaria cogerentur, numerus canonicorum rurſus imminutus, & ad tres ſolos redactus demum tumultibus bellorum creſcentibus, & multis cladibus, ruinis, & miſerijs ingruentibus, Præpoſitus, & canonici loco excedere coacti, & à militibus pulſi, qui monaſterium profanatum in ipſorum hoſpitium, & armamentarium conuerterunt. Eccleſia verò iuſſu Principum diruta, & ſolo æquata, & ipſum monaſterium militibus arcem cuſtodientibus traditum & dirutum, præter ea, quæ illorum vſibus deſeruirent: vnde memorati Præpoſitus, & canonici ad beneuolos receptatores perrexerunt. Porrò cum Abbatiam S. Stephani Illuſtriſſ. D. Guido Ferrerius Vercellenſis Epiſcopus, & S. R. E. Cardinalis in commendam obtinuiſſet, is Præpoſitum, & canonicos dicti monaſterij, qui interim in alio eiuſdem congregationis collegio S. Andreæ morabantur, etiam bonis temporalibus per Sedem Apoſtolicam ipſis attributis exſpoliare cogitauit, contra quos litem coram Nũtio Sedis Apoſtolicæ Taurini commorante ann. 1574. inchoauit, quæ ad annum vſque ad 1580. eſt protracta, quo tempore idem D. Cardinalis, qui aliam Abbatiam S. Iuſti Se. uſiæ ordinis S. Benedicti in commendam obtinebat, nonnullis monachis ibidem degentibus, ad aliud eiuſdem ordinis monaſterium S. Michaëlis, eidem Cardinali commendatum, translatis, Præpoſitum cum collegio canonicorum in dicta Abbatia S. Iuſti repoſuit, certis quibuſdam redditibus pro illorum menſa conuentuali deſignatis, eiſdem canonicis, omnibus iuribus, quæ in ſancti Stephani Præpoſitura prætendebant, viciſſim cedentibus, de qua re infra, cum de prædicto S. Iuſti monaſterio agemus, ſermo iterum redibit.

V. ANno 1537. Capitulum Generale Placentiæ. Rector Generalis R. P. D. Franciſcus Vicentinus. Viſitatores D. Ludouicus Salodienſis, D. Ioannes Ludouicus Mediolanenſis, D. Ioannes Baptiſta Cremonẽſis, & D. Theophilus Vercellenſis.

Anno 1538. Generale Capitulum Rauennæ. Rector Generalis R. P. D. Ludouicus Salodienſis. Viſitatores D. Vbaldus Papienſis, D. Ioannes Iacobus Mediolanenſis, D. Leonardus Venetus, & D. Columbinus Cremonenſis. In eodem Capitulo communibus votis decretum fuit, vt ſi fieri poſſet, regimen canoniſſarum S. Ioannis Lucenſis omnino dimitteretur, quod cum non facile poſſet obtineri, Prior S. Frigdiani cum toto Capitulo quaſdam domos, & alia bona eiſdem canoniſſis donauerunt, ſub certis conditionibus, & reſeruato eidem Priori, & Capitulo antiquo iure, quod habebat in Eccleſiam S. Ioannini, ſub quibus tandem conditionibus renunciatio regiminis dictarum canoniſſarum per Sedem Apoſtolicam eodem anno fuit admiſſa.

Anno 1539. Capitulum Generale Placentiæ. Rector Generalis R. P. D. Gabriel à Gatinaria. 71. Ma[illegible]
Viſitatores D. Gregorius Placentinus, D. Eugenius Vercellenſis, D. Valerianus Bergomenſis, D. Dionyſius Mediolanenſis. Hoc anno fundatum eſt monaſterium S. Vbaldi ſiue S. Iuliani ad Forum Scillæ, quod nunc dicitur Imola. Obtinuerant prius noſtri canonici apud S. Iuliani parochialem palatium, in quo paruo ſacello extructo in honorem S. Vbaldi, pauci canonici degebant, ex paucis quibuſdam redditibus vtcunque victitantes. Cum autem præfatam S. Iuliani parochialem, quæ de iure patronatus Dominorum Galeatij, & Alexandri de Bommereatis ciuium Imolentium aſſerebatur, quidam Ven. Sacerdos nomine Matthæus de Cornazanis in titulum obtineret, is dictam parochialem in manibus Vicelegati Bononienſis, & totius exarchatus Rauennæ, habentis ab Illuſtriſſ. Legato ſpeciale mandatum, reſignauit. Qui quidem D. Vicelegatus, accedente conſenſu Patronorũ, ipſam Eccleſiam S. Iuliani canonicis in dicto Palatio, & oratorio S. Vbaldi commorantibus perpetuò conceſſit, ad effectum erigendi ex prædictis Eccleſia, & palatio monaſterium canonici ordinis noſtræ congregationis, quæ vnio, & monaſterij erectio, vt perpetuæ robur firmitatis haberet, autoritate Apoſtolica fuit probata, & confirmata per Paulum III. vt ex bullis datis apud S. Petrum anno Domini 1539. 4. Idus Martij, Pontificatus ſui anno 5. & Venerabili Epiſcopo Imolenſi directis, liquet. Hoc monaſteriũ protulit Theologum inſignem Venet. Patrem D. Valerianum Zampetrium eiuſdem monaſterij Præpoſitum, & meum in Sacra Theologia Magiſtrum, de quo multa prætereo, quoniam adhuc viuit propè octogenarius.

Hoc eodem anno Paulus III. omnia priuilegia canonicis regularibus Lateranenſibus per Romanos Pontifices illius prædeceſſoris conceſſa firmauit nouo diplomate, dato apud S. Petrum die 16. Auguſti Pontificatus ſui anno 5. incipit: *Cum alias fœlicis recordationis, &c.* Quod ad ſcrupulos amputandos alio diplomate anno 1541. die 23. Aprilis emanato, declarauit. vtrunque habetur in libro Indultorum noſtræ congregationis pag. 487. & ſeq.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN